



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

3. De excellentia orationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)

CAPUT III.

De excellentia Orationis.

Virtutes
Orat.

PRæstantia apparet, quòd in ea exerceantur tam sublimes actus, ut in præcedentibus capitibus ostensum est. Quare Chrysostronus eam comparat Reginae cum amplissimo comitatu. Aliæ enim virtutes præcedunt, quibus præparatur anima orationi, fides, humilitas, reverentia, intentio pura: aliæ comitantur, charitas, religio, devotio, intellectus, sapientia, aliæque dona Spiritûs sancti: aliæ sequuntur, ardentia desideria, & exercitia virtutum, obedientiæ, patientiæ, temperantiæ, & reliquarum.

Oratio facit similes Angelis; Seraphinis, per ardentem amorem; Cherubinis, per scientiæ plenitudinem; Thronis, per altissimam in Deo quietem; Dominationibus, per dominium appetitûs proprii; Potestatibus, per imperium in dæmones; Virtutibus, per admirabilem operationem; Archangelis, per fortitudinem in arduis: Angelis, per obedientiæ promptitudinem; denique omnibus Spiritibus cælestibus, per sanctitatem & sapientiam.

Fructus.

Ser. 45.

1. Pet.

1. 8 Phil.

4. 7.

Pf. 48. 9.

In oratione non ipse homo tantum cum Deo loquitur: sed vicissim Deus cum homine: *Locutio autem Verbi* (ut ait Bernardus) *est infusio doni. Inde letitia spiritûs inenarrabilis pax exuperans omnem sensum: Quare audiam, quid loquatur in me Deus, quoniam loquetur pacem in plebem*

ben suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor.

Oratio est connexa cum omnibus virtutibus, ut Cassianus docet: quòd oratio perfecta, sine istis esse non valeat: neque istæ absque oratione acquiri vel conservari possint, ex quo necessitas orationis commendatur. Oratio est finis omnium virtutum: quia per orationem inhæretur Deo, unione intima: quo refertur quidquid boni in vita agitur. Ibi Deus reddit centuplum pro iis, quæ ipsius causâ contempnimus, vel toleravimus, & arrham præbet vitæ æternæ.

Col. 9. e.

Clim. gradu. 28.

CAPUT IV.

De Materia Meditationis.

Materia est universè, quidquid divinitus revelatum est. Potest autem distingui, juxta conditionem meditantium, tripliciter. Nam aliqui peccatores sunt, sed cupiunt resipiscere: vel, si peccatum reliquerunt, adhuc subjacent vitæ prioris passionibus, quas mortificare desiderant. Unde Purgativam adhuc viam ingrediuntur. Alij, his superatis difficultatibus, profectui virtutum, & ampliori luminis cælestium acquirendo intendunt, quæ est Via Illuminativa. Alij denique progressi sunt ad familiarem & intimam cum Deo unionem, quæ dicitur Via Unitiva.

Via Purgativæ convenit meditatio circa ipsa peccata: ut cognoscatur eorum multitudo &

A 4 gravitas: